

cujus causam quæsimus. Si autem defectus est in causa in potentia tantum: id autem quod est in potentia tantum, non sufficit ut educat aliquid in actu: quia in II. Physic. text. IV. dicitur: *Edificatio in actu est causa edificari in actu, & edificatio in potentia est causa edificari in potentia*: ergo ex tali causa malum actu oriri non poterit.

Præterea. Dionysius dicit in IV. cap. de div. Nom. quod malum non habet causam. Sed quod a bono causatur, habet causam. Ergo malum non est ex bono.

Sed contra. Quicumque facit aliquid ad quod alterum de necessitate consequitur, etiam illius causa est. Sed res bona est causa alicujus boni, ad quod malum consequitur, ex eo quod ex illius adventu alterum bonum privatur; sicut patet in igne adurenti, qui formam suam inducens, formam rei adustæ tollit; & tamen utraque forma bonum quoddam est. Ergo bonum est causa mali.

Præterea. Omne quod est per accidens, reducitur ad per se. Sed malum non causatur nisi per accidens, quia non agit nisi virtute boni, ut Dionysius dicit, ubi sup. Ergo oportet ut causalitas mali in bonum reducatur sicut in primam causam.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod nihil agit, nisi secundum quod est in actu; nihil autem est in actu, nisi secundum quod formam, vel perfectionem aliquam habet: unde oportet quod omne quod agit, agat in quantum perfectum est, & ita in quantum est bonum; cum omne perfectum, in quantum hujusmodi, bonum sit. Intentio autem cujuslibet agentis est similitudinem suam in alio efficere: & ideo id quod est per se intentum ab agente, est quo aliquid bonum efficiatur: unde bonum per se causam habet; sed defectus incidit præter intentionem agentis. Hoc autem contingit tripliciter. Aut ex parte ejus quod intentum est ab agente, quod cum non comparatur secum quamdam aliam perfectionem, excludit eam, ut patet in generatione naturali. Ignis enim intendit formam suam in materiam inducere; sed quia forma ignis non comparatur formam aeris, inde sequitur præter intentionem agentis privatio formæ aeris. Aut ex parte materiæ recipientis actionem, quæ indisposita est ad consequendam perfectionem quam agens intendit inducere, ut patet in naturalibus (2) in partibus monstruosis, & in artificialibus in ligno nodoso, quod non dirigitur ad actionem artificis: unde remanet artificiatum aliquem defectum habens. Aut ex parte instrumenti, ut patet in claudicatione, quia a virtute gressiva sequitur gressus distortus propter curvaturam cruris. Malum autem culpæ ex duobus horum modorum contingere potest, scilicet vel ex parte ejus quod intentum est, vel ex parte instrumenti. Ex defectu enim materiæ, culpæ malum non accidit quia operationes morales non sunt factiones, ut per eas aliquid in materia constituitur, ut in VI. Ethic. cap. III. dicitur; sed sunt actiones in ipsis agentibus permanentes, & eos perfectientes, aut corruptentes: in omnibus enim peccatis quæ per deliberationem rationis procedunt, malum incidit ex parte ejus quod intentum est: sicut enim in naturalibus non possunt esse duæ formæ substantiales ultimæ; actu perfectientes eandem partem materiæ, ita non possunt esse duo ultimi fines

(2) Al. in partibus.

voluntatis: unde sicut agens naturale ex hoc quod inducit unam formam, causat defectum alterius formæ; ita etiam voluntas ex hoc quod alicui tamquam ultimo fini inhæret, quod debitus sibi finis non est, avertitur a fine ultimo sibi debito, in quo completur ratio mali culpæ, præter intentionem voluntatis. Peccata vero quæ præter deliberationem rationis procedunt, ut primi motus, incidunt ex defectu instrumenti, id est inferiorum virium, quæ sunt sicut instrumenta voluntatis, aut rationis; sicut patet in primis motibus. Sic ergo patet quod eo modo quo malum causam habere potest, bonum efficiens causa mali est, scilicet per accidens; non autem id quod est perfectum & summum bonum: quod patet per similitudinem in agentibus naturalibus, in quibus invenitur aliquod agens universale, & aliquod agens particulare. Agens particulare, quod habet actionem determinatam ad unam formam, sicut est causa formæ illius, ita est causa privationis formæ alterius, ut patet in igne, vel aqua; sol autem cum sit causa agens universaliter ad omnem formam inferiorem corporalem, non est causa privationis formæ, nisi per suam elongationem, ut dicitur in II. de generat. text. LVI. LVII. & LVIII. Similiter etiam illud quod est bonum particulare, causando aliquid bonum determinatum, excludit bonum alterum, quod non se cum illo comparatur; bonum autem completum, quod universaliter omni boni causa est, non est causa defectus alicujus boni, neque etiam per suam absentiam: quia ipsum, quantum in se est, semper præsens est, vicissitudinem non patiens absentiæ, & præsentiam.

Ad primum ergo dicendum, quod boni effectus per se est salvare, & producere; sed etiam corruptio, vel privatio potest esse per accidens effectus boni, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod bonum in toto universo contingit ut in pluribus; malum autem fit in paucioribus: plures enim sunt partes universi in quibus malum naturæ accidere non potest, scilicet superiora corpora, quam illæ in quibus malum naturæ accidit, scilicet inferiora corpora, in quibus etiam malum naturæ, ut in paucioribus est: quia causæ naturales non deficiunt a suis ordinatis effectibus nisi in minori parte. Similiter etiam est in voluntariis, si accipiatur completa causa, quæ est voluntas per habitum perfectam, quia hæc ab actu virtutis ut in minori parte deficit. Voluntas autem nondum per habitum perfectam, est incompleta causa, quia se ad utrumlibet habet: & sicut mala pluribus modis contingunt quam bona, ita in pluribus flebitur in mala quam in perfecte bona. In nullo enim voluntas hoc modo deficit ut saltem in aliqua bona non convertatur: quia malum, si perfectum sit, se ipsum destruit, ut in IV. Ethicor. cap. X. Græco-lar. dicitur.

Ad tertium dicendum, quod causa secunda habet per se effectum, secundum quod est sub causa prima: & ideo talis effectus qui per se est ejus, in causam primam reducitur; sed si sit aliquis defectus ejus per accidens, in quantum exit ab ordine causæ primæ, non oportet quod effectus ille in causam primam reducatur; sicut patet in crure claudicante: quidquid enim de ratione gressus est in claudicatione, totum efficitur mediante crure a virtute gressiva; sed crur, in quantum est improporionatum virtuti gressivæ, inducit deformitatem quæ est in clau-

dicatione: unde non oportet quod talis deformitas sit effectus virtutis gressivæ. Ita etiam bona particularia non sunt causæ per accidens aliquorum defectuum, nisi secundum quod deficiunt a perfectione summi boni: unde non oportet quod defectus illi qui consequuntur, in summum bonum sicut in causam reducantur.

Ad quartum dicendum, quod in voluntate creata invenitur duplex defectus. Unus qui est potentialis causa mali, scilicet (3) esse ex nihilo: ex hoc enim quod ex nihilo est, potest deficere peccando, secundum veritatem electionis. Non tamen iste defectus est actualis causa mali: quia sequeretur quod voluntas semper deficeret, sicut crur claudum semper claudicat. Alius autem est defectus actualis, secundum quod actu deficit: & quidquid procedit ab ipsa, prout sub isto defectu stat, totum est malum. Illius autem defectus qui est in actu voluntatis, non oportet quod sit causa alicujus defectus in voluntate præexistens actu, quia sic in infinitum iretur; sed ipsamet voluntas secundum se considerata illius defectus causa est. Ille enim defectus in voluntate est, secundum quod voluntas ad aliquod indebito modo convertitur. Eius autem quod est converti ad bonum creatum indebito modo, voluntas dominium habet, quia ad utrumlibet libera est: non enim est simile de voluntate, & agente naturali: agens enim naturale est determinatum ad unum ex sua natura, unde non potest esse causa actionis inordinatæ, nisi per hoc quod aliquis defectus in ipso agente est; voluntas autem non est determinata ad unum, sed seipsam determinat, secundum quod huic, vel illi adhæret; & in tali adhesionem primum malum voluntatis consistit: unde primi mali culpæ, quod est in actu voluntatis, res bona, scilicet voluntas, causa est, sed per accidens, ut dictum est; secundi autem mali, quod est in actu exteriori, ipsa voluntas jam mala per interiorum actum causa est.

Ad quintum dicendum, quod malum non habet causam per se, sed per accidens, ut dictum est; & hoc Dionysius intendit: & sic per accidens bonum mali causa esse potest.

ARTICULUS IV.

Utrum malum sit subjectivum in bono.

I. P. quæst. XLVIII. art. 3. & de malo quæst. I. art. 2. & contr. Gent. Lib. III. cap. XI.

1. Ad quartum sic proceditur. Videtur quod malum non sit in bono sicut in subjecto. Sicut enim dicit Dionysius IV. cap. de div. Nomin. malum neque est existens, neque in existente. Sed propriissime dicitur esse in altero quod est in eo sicut in subjecto. Ergo existens non est subjectum mali. Sed omne bonum est existens. Ergo malum non est in bono sicut in subjecto.

2. Præterea. Malum se habet ad bonum sicut non ens ad ens. Sed ens non est subjectum non entis, quia simul esse non possunt. Ergo nec bonum est subjectum mali.

3. Præterea. Nullum contrarium est subjectum sui contrarii. Sed bonum, & malum sunt contraria. Ergo bonum non est subjectum mali. Prima patet ex hoc quod I. Physic. text. LXVI. & LXVII. dicitur, quod subjectum neutrum contrariorum est.

(3) Al. omittitur esse.

4. Si dicatur, quod regula ista fallit in his contrariis quæ sunt bonum, & malum, ut in littera dicitur; contra. In posteriori semper prius includitur. Sed prima oppositio est affirmationis, & negationis. Ergo affirmatio, & negatio includitur in omnibus contrariis. Sed affirmatio, & negatio non possunt esse simul vera. Ergo nec aliqua contraria. Subjectum autem simul est cum eo cuius est subjectum. Ergo bonum mali subjectum esse non potest.

5. Præterea. Illud quod est per se subjectum alicujus, est etiam per se causa ejus: quia sicut dicitur dicitur Avicenna, tract. I. Metaph. cap. I. subjectum est in se completum præbens alteri occasionem essendi. Sed malum non causatur per se ex principiis boni. Ergo bonum non est universaliter, & per se subjectum mali.

Sed contra. Omne quod est subjectum, est ens. Sed omne est, in quantum hujusmodi, bonum est: quia ens, & bonum convertuntur. Ergo oportet quod subjectum mali sit bonum.

Præterea. Philosophus dicit in IX. Metaphysic. text. XXI. quod non est præter res malum. Esset autem præter res, si in rebus non esset. Ergo malum est in rebus sicut in subjecto. Sed omnis res, in quantum hujusmodi, bona est: quia per se malum nulla res est, sed privatio, ut dictum est. Ergo bonum est subjectum mali.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod per se malum, ut dictum est ex dictis Avicennæ, tract. IX. Metaph. cap. VI. est privatio; privatio autem, ut in IV. Metaph. text. IV. dicitur, est negatio in substantia, id est in substantia habet subjectum; negatio autem quæ subjectum non determinat, privatio dici non potest, sed simplex negatio: unde oportet quod malum aliquid ens subjectum habeat. Omne autem ens, in quantum hujusmodi, bonum est. Unde oportet quod subjectum mali sit bonum. Sed sciendum, quod non omne bonum, subjectum mali esse potest: est enim quoddam bonum, cui nihil bonitatis deest, quia perfectum est, nec deesse potest, quia omnes bonitates in eo unum sunt, ut una ab altera separari non possit, quia simplex est; & in tali bono malum nec esse, nec cogitari potest: & hoc est summum bonum, quod Deus est. Est autem quoddam bonum, quod quamvis non omnem bonitatem perfecte colligat, sed in aliquo a summo bono deficiat, tamen non potest sibi deesse aliqua bonitatem quæ debita est sibi; ut patet in Angelis, & in corporibus celestibus, quæ bonitatem naturalem nullo modo amittere possunt; & tale etiam bonum subjectum mali esse non potest: non enim omnis carentia bonitatis malum est, sed illius tantum quam nata est res habere, & debita est ei: carere enim visu non est malum in lapide, sed in oculo: hoc enim est commune privationi omni quod aptitudinem ad actum in subjecto requirit. Est autem quoddam bonum quod nec omnem perfectionem consequitur, & propter distantiam a summo bono, illa etiam quæ debita est sibi, carere potest, & quam natum est habere; & tale bonum est subjectum mali, quidquid sit illud. Unde Dionysius dicit IV. cap. de div. Nomin. quod bonum particulare est subjectum mali. Hoc autem bonum quid sit, quod malo subjicitur, considerandum est ex perfectione quæ per malum privatur, eo quod privatio, &

ARTICULUS V.

Utrum malum possit corrumpere totum bonum.

I. P. quest. XLVIII. art. 6. & cont. Gent. Lib. III. cap. XII.

habitus sunt circa idem. Est autem quedam perfectio, scilicet secunda, cujus subjectum est ens actu completum in esse primo; & hoc idem ens illi malo subicitur, per quod ista perfectio privatur; sicut anima culpæ, per quam gratia tollitur. Est autem quedam perfectio prima, ut forma substantialis, subjectum cujus est in potentia tantum, scilicet materia prima, quæ sicut est ens incompletum, & in potentia, (1) sic ipsa etiam subicitur privationi substantialis formæ, ut dicit Philosophus in I. Physic. text. LXXIX. quod materia non est malum per se, sed per accidens, scilicet ratione privationis cui subicitur.

Ad primum ergo dicendum, quod Dionysius intelligit esse in existente, sicut aliqua pars perfectionem existentis constituens; & hoc modo in nullo existente malum est; sed sicut privatio in subjecto.

Ad secundum dicendum, quod malum (2) non se habet ad bonum, sicut non ens absolute sumptum ad ens: non ens enim absolute sumptum est negatio pura, quæ sibi subjectum non determinat; malum autem est non ens quoddam, quod est privatio: & ideo oportet quod habeat determinatum subjectum, quod non potest esse nisi ens bonum.

Ad tertium dicendum, quod non quodlibet malum contrariatur cuilibet bono directe, (3) sicut nec cuilibet virtuti quodlibet vitium; sed illi tantum bono cujus perfectio per malum privatur. Malum autem non est sicut in subjecto in illo bono quod per malum tollitur, sicut vita naturalis hominis non tollitur per malum culpæ: unde malum culpæ non opponitur huic bono quod est vivum vita naturali: & ideo non est inconveniens, si hoc malum in hoc bono sit sicut in subjecto.

Ad quartum dicendum, quod oppositio mali ad bonum potest considerari dupliciter. Vel secundum determinatam rationem huius boni, & illius mali; & sic non fallit in istis oppositis, bonum, & malum, Dialecticorum regula, quæ perhibet, contraria simul esse non posse: quia, ut dictum est, sic accipiendo oppositionem boni, & mali, malum non opponitur illi bono in quo est sicut in subjecto. Potest etiam considerari oppositio mali ad bonum secundum communem rationem utriusque, & sic malum simpliciter opponitur bono simpliciter, sicut huic bono hoc malum; & per hunc modum fallit Dialecticorum regula in istis contrariis, quia malum est in bono: & ratio quare fallit, est ista, quia bonum non imponitur ab aliqua determinata perfectione, sed a perfectione in communi: unde quidquid perfectionis res habeat, communem rationem boni consequitur; similiter etiam quacumque perfectione privatur, communem rationem mali incurrit. Contingit autem ut aliquid habeat primam perfectionem, & privetur secunda; & ita simul habeat rationem boni, & mali, sed secundum diversa: & ex hoc non sequitur quod contradictoria sint simul vera.

Ad quintum dicendum, quod malum non habet subjectum sicut per se accidens, sed sicut privatio perfectionis: & ideo non oportet quod per se ex principiis sui subjecti causetur; sed sufficit quod tantum in subjecto aptitudinem, & debitum requiratur.

(1) *Al.* & ipsa. (2) *Al.* non esse habet. (3) *Al.* sed. (4) *Al.* sed objectum.

1. **A**D quintum sic proceditur. Videtur quod malum bonum totum corrumpere possit. Quia, ut in I. Physic. text. XXXVII. dicitur, omne finitum consumitur ablato quodam. Sed bonum creatum, quod solum subjectum mali esse potest, finitum est. Ergo per multiplicationem mali potest ex toto consumi.

2. Si dicatur, quod quamvis sit finitum in actu, est tamen infinitum in virtute, & potentia; contra. Quantitas virtutis, vel potentie mensuratur ex objecto: (4) objectum autem potest habere infinitatem vel secundum rationem quantitatis continuæ, vel secundum rationem quantitatis discretæ. Sed neutro modo per peccatum diminuitur potentia, vel virtus boni naturalis: quia sicut ante peccatum erat anima capax infiniti boni, quod Deus est, ita etiam post peccatum sicut ante peccatum poterat in infinitos actus, ita etiam post; nec alicujus actus potentia ab ea auferitur, ad minus remota. Ergo diminutio boni per malum non attenditur secundum quantitatem virtutis: ergo nec infinitas virtutis consumptionem boni, vel mali excludere potest.

3. Si dicatur, quod diminutio boni per malum, non est semper secundum eandem quantitatem, sed secundum eandem proportionem, sicut in diminutione continui; & ideo semper in infinitum diminuitur, nec ex toto auferitur: contra. Quodcumque est diminutio secundum eandem proportionem, semper illud quod secundo auferitur, est minus eo quod primo auferebatur; quia si primo ablatum fuit tertium totius, secundo ablatum erit tertium residui, & sic deinceps. Sed secundum malum non tollit minus de bono quam primum malum auferbat: quia potest esse malum tam magnum, nec bonum est fortius ad resistendum, sed debilius. Ergo non est diminutio boni per malum semper secundum eandem proportionem.

4. Præterea. Ex hoc malum dicitur quod bonum corrumpit. Ergo quamdiu malum durat, continue corrumpit. Sed quod continue corrumpit, tandem ad non esse perducit: quia sicut nullius rei generatio est infinita, ita nec corruptio, cum tempus corruptionis cujuslibet rei tempori generationis ejus æquale sit, ut in II. de generat. text. LVIII. dicitur. Ergo necessarium est quod bonum ex toto per malum tollatur.

5. Præterea. Si malum diminuit bonum, aut illud bonum quod est ei subjectum, aut illud bonum quod est ei oppositum. Sed non illud quod est sibi subjectum, cum nullum accidens suum subjectum diminuat. Ergo intelligitur diminueri illud bonum quod sibi opponitur. Ergo cum illud bonum ex toto privet, quia opposita non possunt esse simul; videtur quod bonum quod per malum diminuitur, ex toto tollatur.

Sed contra. Inter alia mala pejus est malum culpæ. Sed malum culpæ non ex toto tollit bonum: dicit enim Dionysius in IV. cap. de divin. Nomin. quod bona naturalia in Angelis peccantibus integra perman-

manserunt, cum tamen peccatum eorum sit gravissimum. Ergo malum non ex toto tollit bonum.

Præterea. Philosophus dicit IV. Ethic. cap. XIII. quod malum, si sit integrum, seipsum destrueret. Sed malum quod ex toto tollit bonum, erit integrum malum. Ergo etiam seipsum destrueret. Sed quidquid seipsum destruit, impossibile est esse. Ergo impossibile est esse aliquid malum quod ex toto corrumpat bonum.

S O L U T I O.

Respondeo dicendum, quod sicut ex dictis patet, malum per se acceptum privatio quædam est. Ad rationem autem cujuslibet privationis tria requiruntur, scilicet habitus oppositus, & subjectum tam habitus quam privationis, & habitus in subjecto ad receptionem habitus: & ideo triplex bonum potest considerari, scilicet bonum quod est perfectio opposita (1) ipsi malo, & subjectum illius perfectionis, & privationis oppositæ, & etiam ipsa habitus ad perfectionem illam, quæ cum sit quædam quasi inchoatio ejus, etiam bonum quoddam est: verbi gratia, malum culpæ habet pro subjecto ipsam naturam animæ, quæ bonum quoddam est, & pro opposito ipsam gratiam, & iterum animæ inest habitus quædam ad gratiam habendam. Sciendum est ergo, quod malum culpæ bonum gratiæ sibi oppositum ex toto tollit; de ipsa vero natura animæ, quæ est sibi subjectum, nihil auferitur; ipsam vero habitatem diminuit, & hoc est bonum naturæ quod ex culpa diminuitur. Diminutio autem huius habitatis non est per subtractionem alicujus partis ejus: sicut enim qualitates, & formæ non augentur per additionem, ut in I. Libro dictum est distinct. XVII. sed per intensionem; ita etiam non diminuitur per subtractionem, sed per remissionem. Remissio autem huiusmodi habitatis est, secundum quod elongatior est ab actu, scilicet ab ipsa gratia: quanto enim potentia est magis propinqua actui, tanto completior est. Contingit autem istam habitatem in infinitum elongatorem ab actu fieri; ita quod semper remanebit habitus, eo quod quilibet actus peccati facit aliquam elongationem à gratia; unde semper remanet minor, & minor habitus, & magis à gratia distans; & post primum peccatum non tollitur potentia ad secundum peccatum, immo est major pronitas; & ideo potest fieri major elongatio. Numquam tamen habitus ad gratiam ex toto tollitur: quia habitus ista causatur ex principiis naturæ, quæ principia, ut dictum est, culpa nec tollit, nec minuit: & simile esset in naturalibus, si esset aliquis calor qui in infinitum posset calefacere, & plus, & plus; semper tamen remaneret materia quæ ex natura sua haberet habitatem ad frigus, & eam nullo modo amitteret; sed tamen illa habitus semper fieret magis, & magis longinqua ab actu.

Ad primum ergo dicendum, quod ista diminutio non fit per subtractionem, sed per elongationem ab actu, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod nihil subtrahitur de quantitate virtutis, vel potentie; ita ut non sit post peccatum in potentia ad tantum bonum sicut ante, vel ad tot bona sicut prius; sed tamen per quodlibet peccatum elongatur potentia ab actu: & in hoc infinitatem habet, secundum quod in infinitum hoc fieri contingit, ut dictum est.

In II. Sent. Tom. II.

(1) *Al.* in malo. (2) *Al.* concomitata. (3) *Al.* spirituales.

Tertium conceditur: quia illa solutio nihil valet.

Ad quartum dicendum, quod malum, id est ipsa privatio quæ est in subjecto aliquo non corrumpit aliquid effective in subjecto illo, ut fiat consumptio continua, sicut humidum per calidum consumitur; sed corrumpit formaliter loquendo; id est, est ipsa corruptio quæ corruptum est: & ideo ratio non procedit.

Ad quintum dicendum, quod illud bonum naturæ quod per peccatum diminuitur, est medium inter animam, quæ est subjectum culpæ, & gratiam quæ est oppositum culpæ, scilicet ipsa habitus: quæ quidem radicitur in anima, & perficitur per gratiam; & ideo ex parte illa qua accedit ad gratiam, opponitur culpæ, ratione cujus per culpam diminuitur, ut semper elongatior à gratia fiat; sed, ex parte illa qua in substantia animæ radicitur, non opponitur culpæ; sed est subjectum ejus: & ideo semper manet in anima, quamdiu manet natura.

EXPOSITIO TEXTUS.

Manifestum est ex voluntate mala, tanquam ex arbore mala, fieri omnia opera mala. Hoc dicit ad excludendum quædam objectionem ex verbis Domini exortam Matth. VII. 18. Non potest arbor bona, na malos fructus facere: ex quo videtur sequi quod res bona causa mali esse non possit. Sed dicendum, quod arbor est causa proxima fructus; causa vero prima in genere illo est vel sol, vel terra: & causa prima est communis & bonis, & malis arboribus, & bonis, & malis fructibus; ideo ipsa natura voluntatis, sicut causa prima, est principium bonarum, & malorum voluntatum, & bonorum, & malorum exteriorum actuum, una & eadem; sed voluntas mala, quæ comparatur arbori, est causa mali actus exterioris proxima, qui comparatur fructui.

Ecce habes primam voluntatem boni mutabilis. Hoc non dicit, si Angelus primus, & homo non peccasset, quin alii sequentes peccare potuissent; sed quia ex illis primis peccatis sequentia (2) consecuta sunt.

Ubi autem bonum non est, non potest esse corruptio. Hoc non est intelligendum de bono quod per malum privatur, quia sic ratio sua non valet: hoc enim bonum ante adventum mali est; sed post adventum mali non remanet: sed intelligitur de bono quod est subjectum mali, quod quidem corrumpitur, in quantum debita perfectione privatur. Quod si esse desisteret, privari non posset, & ita nec corrumpi.

Naturalium sunt privationes bonorum. Hoc intelligendum est de bono naturali, vel ad quod natura est ordinata, sicut gratia, vel virtus; vel de ipsis habitibus ad hæc bona. Si enim intelligeretur de bonis naturalibus quæ sunt de esse naturæ, vel naturam consequentes; sic falsum esset, quia talia bona post peccatum integra manent, ut Dionysius dicit IV. cap. de div. Nom.

Illam Dialecticorum regulam deficit qua dicunt, nulli rei duo simul inesse contraria. Quomodo deficiat, & quomodo non, dictum est. Sed secundum intellectum quo proponitur ut regula, nunquam deficiat; quamvis aliquo modo deficiat in bono, & malo, quo non deficiat in alijs contrariis quæ (3) speciales formas designant, ut dictum est.

Vv De

